



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dvb. IV. Vtrùm omnes virtutes infusæ nobis infundantur simul?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

ueni gratia, alijque habitibus supernaturalibus: ergo verè non creantur, nec etiam concreantur magis quàm alia accidentia.

D V B I V M IV.

Virum omnes virtutes infuse nobis infundantur simul?

Difficultas hæc præcipuè versatur circa fidem & spem, & quaeritur vtrum hæc aliquando infundantur ante caritatem. De virtutibus autem moralibus nulla hic est difficultas: nam quicumque fatentur has nobis infundi, etiam fatentur eas infundi simul cum caritate.

Prima sententia docet, fidem & spem nunquam infundi ante caritatem. Ita Durand. in 3. d. 23. q. 6. a. 3. Bonavent. ibid. in expositione textus lit. F. Richard. a. 6. q. 3. Scotus d. 36. art. 4. Gabriel ibid. q. vn. a. 2. p. 3. Vega. 7. ad sess. 6. Concil. Trident. c. 28. & quidam alij.

Probatur Primò, quia aliàs cum adulti semper credant antequam legitime baptizentur, sequeretur, fidem nunquam iis infundi in baptismo: atqui hoc repugnat Concilio Vienn. quod docet probabilius esse hanc iis in baptismo infundi: ergo illud dici nequit. Secundò, quia Trident. sess. 6. cap. 7. docet, nos in iustificatione fidem, spem & caritatem simul infusa suscipere: ergo fides non infunditur ante caritatem. Tertiò, quia cum homo ante iustificationem sit inimicus Dei, non conuenit ei fidem, quæ est magnum Dei donum ac animæ ornamentum, infundi. Quartò, quia aliàs Deus hominem ante iustificationem imperfectè sanaret: quod repugnat Augustino lib. de Vera & falsa poenitentia cap. 9. Quintò, quia D. Thomas 1. 2. q. 62. a. 4. docet, actus fidei & spei esse priores generatione actu caritatis; has tamen simul infundi. Sextò, quia aliàs sequeretur, habitus virtutum infusos non esse æquales in omnibus iustis.

Secunda sententia docet, quando quis credens quidem, sed tamen sine sufficienti dispositione ad iustificationem suscipit baptismum, ipsi infundi habitum fidei sine caritate; aliàs verò eos hos habitus semper simul infundi. ita Sotus l. 2. de Gratia c. 8.

CONCLUSIO. Multò probabilius est infidelibus dum incipiunt conuerti, ac fidei & spei actus prius tempore eliciunt, quàm habeant actum caritatis, aut baptizentur, atque adeò communiter prius etiam infundi habitum fidei & spei, quàm habitum caritatis. Ita Caiet. & Bañez 2. 2. q. 6. a. 2. circa respons. ad 3. Medina. 1. 2. q. 62. art. 4. Suarez 3. p. tom. 3. disp. 28. sect. 3. sub finem. Salas 1. 2. tractat. 11. disput. 5. sect. 3. Vasquez 1. 2. disp. 203. c. 9. n. 117. Valentia 2. 2. d. 1. q. 6. punct. 2. Turrian. 2. 2. disp. 41. dub. 9. Lorca ibid. disp. 32. Pefant. q. 4. a. 7. concl. 3. & alij & videtur aperte sententia D. Th. 2. 2. q. 6. a. 2. ad 3. ubi aperte admittit, fidem nobis aliquando infundi ante caritatem. Nec refert quòd in præcedentibus videatur aliquando loqui de actu fidei, quia sub hoc comprehenditur etiam habitum fidei: quia hic propriè dicitur nobis infundi: & quæst. præcedente, nomine virtutis & fi-

dei formata & informis, intellexerat habitum: ergo etiam hic.

Probatur Primò, quia videtur aperta sententia Trident. sess. 6. c. 7. ubi cum docuisset nobis in iustificatione infundi fidem, spem & caritatem, subdit: nam fides, nisi ad eam spes accedat & caritas, neque vnit perfectè cum Christo, neque corporis eius viuum membrum efficit. qua ratione verisimè dicitur, fidem sine operibus mortuam & otiosam esse. Vbi aperte supponit, fidem quandoque nobis prius infundi quàm caritatem: agit enim de totali hominis conuersione & iustificatione, qua infidelis conuersus iustificatur per infusionem fidei, spei & caritatis. aitque fidem infusam (de hac enim aperte loquitur) nisi accedat spes & caritas, nõ efficere nos viuum membrum Christi, sed otiosam & mortuam esse. quæ incongruè dicerentur, si fides nunquam nobis infunderetur ante caritatem.

Dices, Concilium solùm insinuare fidem in peccatore fidei manere sublata caritate. Sed hoc nullo modo congruit menti aut textui Concilij, nam, vt iam ostendi, & patet ex tota sessione, Concilium disputat qua ratione ad iustitiam ab infidelitate conuertamur; & quæ in tali iustificatione nobis infundatur. & dictis verbis reddit rationem cur non sufficiat solam fidem nobis infundi, sed necesse sit simul infundi caritatem: ergo loquitur, non de conseruatione fidei in peccante, sed de eius infusione in eo qui conuertitur. Nec etiam potest intelligi de solo actu fidei, quia hic non dicitur nobis propriè infundi, aut nos Christo vnire, eiusque membrum efficere, aut sine caritate manere otiosus: sed hæc propriè soli habitui conueniunt.

Probatur Secundò, quia videtur aperta sententia D. Augustini l. 1. ad Simpl. q. 2. sub initium, ubi ait: In quibusdam tanta est gratia fidei, quanta non sufficit ad obtinendum regnum celorum. Et hanc ait esse catechumenorum habentium fidem sine caritate. Et infra: In quibusdam verò tanta est vt iam corpori Christi, & sancto Dei templo deputentur. Et infra: Fiunt ergo inchoationes quadam fidei conceptionibus similes; non tamen solùm concipi, sed & nasci opus est, &c. Vbi clare docet, aliquem initio suæ conuersionis posse habere fidem antequam habeat caritatem qua viuum Dei templum fiat. Quòd autem non loquatur de solis actibus, patet; quia loquitur de ea fide, qua initio concipimur, & crescente eius perfectione accedente scilicet caritate nascimur filij Dei, & viuum Christi membrum ac templum constituimur. quæ non conueniunt actibus transuentibus, sed habitibus permanentibus.

Probatur Tertiò, quia cum fides & spes remaneant in peccatore sine caritate, & fides possit manere sine spe, constat planè nec fidem à spe, nec spem à caritate in suo esse pendere: ergo sicut sine caritate conseruantur, ita etiam sine ea legitime dispositis infunduntur: alia autem dispositio non potest hic esse necessaria, quàm eorum actus. Sicut enim actus caritatis disponit ad habitum caritatis, ita etiam actus fidei & spei disponunt ad harum habitum.

Dices, fidem & spem posse quidem conseruari sine caritate; non tamen primò produci: quia

52
Trident.

53
Tridentina docet conuersionis ab infidelitate infundi habitum fidei ante caritatem.

Infundi & manere otiosum non actui, sed habitui conuenit.

54
August.

Habitibus non actibus constituitur formaliter membra Christi & templum Dei.

55

49
Durandus.
Bonavent.
Richard.
Scotus.
Gabriel.
Vega.

Trident.

August.
D. Thom.

Sotus.

Caietan.
Bañez.
Medina.
Suarez.
Salas.
Vasquez.
Valentia.
Turrian.
Lorca.
Pefantius.
D. Thom.

quia plura requiruntur ad rei alicuius productionem, quam ad eius conseruationem. Respondeo, nos etiam plura requirere; nam ad illorum habituum productionem praequirimus eorum actus, ad conseruationem verò solum requirimus negationem omnis actus contrarij.

56 Probatum Quarta, quia in fideli peccatore ideò relinquitur habitus fidei & spei, quia cum adhuc verè sit fidelis, cōuenit eum aliquid reale in se habere, quo etiam dum nihil agit intrinsecè sit fidelis, & potens actus fidei exercere: atqui, dum quis ab infidelitate conuersus prius quam habeat actum caritatis verè & ex animo credit, est verè fidelis: ergo similiter conuenit ei infundi habitum fidei; nam aliàs dum actu non credit, non esset verè formaliter ac realiter fidelis, sed solum denominatione quadam extrinseca ab actu praeiterito. Quare dicendum est hos habitus ei infundi, praesertim cum nulla sit ratio id negandi, vt patebit ex solutione argumentorum.

57 Ad primum, nego minorem. Concilium enim solum docet, eos habitus nobis in baptismo infundi, quantum est ex vi Sacramenti, siue nisi ante nobis infusi sint. Vtrum autem hoc casu in baptizato hi habitus augeantur, atque ita possint dici infundi, videbimus dub. 5.

Ad secundum, Respondeo Tridentinum solum velle nobis haec omnia in iustificatione infundi siue eodem tempore siue diuerso. vnde verbis immediatè sequentibus apertè insinuat ea non semper simul tempore infundi, vt ostendit n. 52. Simul itaque ibi non significat ea simul siue eodem tempore infundi, sed necessariò simul esse in eodem, vt quis perfectè iustificetur, vt apertè in sequentibus docet.

Ad tertium, nego assumptum. Quia secundum id sequeretur, eos habitus non debere relinqui in peccatore; quia non magis dedecet eos peccatori infundi, quam in eo à Deo conseruari.

Ad quartum, Respondeo Deum, quantum est ex parte sua, semper hominem perfectè sanare, quòdque tamen id non perficere, ob nostrum defectum. Adde, librum illum non esse D. Augustini, & eius auctorem solum velle vnum peccatum mortale non remitti sine alio; atque ita illud nihil facere ad praesentem questionem.

58 Ad quintum, Respondeo D. Thomam ibi non agere de prioritate temporis, quæ per accidens inter dictos habitus potest intercedere; sed de prioritate, quæ per se & ex natura rei inter eos reperitur; qualis est prioritas naturæ. solumque negare vnum habitum esse priorem natura altero, siue vnum naturaliter supponere alterum, sicut vnus actus supponit alterum.

59 Ad sextum, Respondeo nullum esse incommodum si habitus fidei aut spei in quibusdam iustis sit intensior alijs habitibus infusis: neque enim illi habitus horum norma regi debent, cum ab his in suo esse ac conseruari nullo modo dependeant; quare sicut sine his possunt absolute in aliquo esse, ita possunt his esse intensiores. Quod igitur multi dicunt, omnes habitus

infusos in eodem semper esse æquè intensos, intelligendum de habitibus habentibus inter se mutuam dependentiam, ita vt vnus numquam sine alio reperiatur. quales sunt omnes habitus infusi virtutum moralium inter se & respectu caritatis, cum qua simul infundantur, augentur, pereunt.

Ex quibus sequitur Primò, habitus fidei & spei posse quidem in eodem esse intensiores alijs habitibus infusis; numquam tamen esse his remissiores. Quia cum hi ab illis ita pendeant, vt secundum Dei constitutionem sine illis nec infundi nec conseruari queant; nullo modo conuenit aut possibile est hos illis in eodem esse intensiores. Sed contra omnino conuenit, vt sicut primus gradus caritatis necessariò praesupponit, aut saltem simul secum requirit primum gradum fidei & spei; ita secundus gradus caritatis praesupponat aut secum requirat secundum gradum fidei & spei, & sic deinceps.

Sequitur Secundò, in iusto qui habet habitum caritatis æqualem habitui fidei, per quosvis actus virtutum æqualiter augeri habitum fidei & reliquarum virtutum: quia tunc nec alij habitus possunt magis augeri, quam habitus fidei, ne sint hoc intensiores, nec est ratio cur habitus fidei magis augeatur, quam reliqui. Secus tamen videtur dicendum de eo qui habet habitum fidei reliquis intensiorem, scilicet hunc eo casu non intendi per actus aliarum virtutum. Quia tota ratio cur vnus virtutis habitus per actum alterius virtutis intendatur, excepto habitu caritatis, est mutua inter eas connexio & dependentia, vt dixi suprà, & n. 63 magis explicabo. cum ergo reliqui habitus eatenus solum sint connexi habitui fidei, ab eoque dependeant, quatenus nequeunt in eodem esse intensiores; nihil impedit eos sine hoc intendi, quādiu sunt eo remissiores; & consequenter habitus fidei eo casu non necessariò intenditur per eorum actus. Idemque proportionaliter dicendum de habitu spei, respectu caritatis & virtutum moralium.

Sequitur Tertiò, habitus fidei & spei in peccatore per harum actus augeri, sine augmento aliarum virtutum quæ tunc non sunt. nam sicut illi actus disponunt suum subiectum ad primam habituum infusionem, ita etiam id disponunt ad eorum augmentum. In iustis tamen hi habitus numquam augentur, nisi simul augeantur alij habitus infusi: quia cum in his actus fidei & spei sint meritorij de condigno, non minùs merentur augmentum caritatis, & consequenter virtutum moralium, quàm actus aliarum virtutum. vnde vltèrius probabiliter inferitur, habitum fidei per actum fidei æquè intensum magis augeri in iusto, quàm in peccatore, quia illius actus ob dignitatem operantis est moraliter multò melior, & meritorius de condigno, cum actus peccatoris vt summum sit meritorius de congruo. quæ infra in materia de merito fusiùs probabo.

Dices, Actus caritatis aut alterius virtutis moralis in iusto non minùs meretur augmentum habitus fidei in eo qui hunc habet intensiorem alijs habitibus, quàm in habente eum æquè intensum.

Cur in peccatore fideli debeat esse habitus fidei.

Quomodo Deus perfectus sanat, quos sanat.

Soli illi habitus infusi sunt semper æquales in eodem, qui inter se conueniunt.

60 Habitibus fidei & spei possunt in eodem esse intensiores alijs habitibus infusis, non tamen remissiores.

61 Habitibus fidei in iusto per alia opera bona quòdque augentur, quandoque non.

62 Habitibus fidei & spei possunt augeri in peccatore sine augmento aliorum habituum, non tamen in iusto.

63

intensum: ergo hoc augmentum debet aut vtrique conferri aut reuerti. Respondeo, antecedens solum esse verum de merito directo, & per se, qua ratione in neutro talis actus meretur augmentum habitus fidei: si autem intelligatur de merito indirecto & per accidens, tunc est negandum.

Pro quo Nota, actum virtutis in iusto directè & per se solum mereri augmentum sui habitus, ad quod directè tendit, & augmentum præmiæ essentialis, quod est propria merces bonorum operum, ad hoc autem essentialiter spectant lumen gloriæ & gratia iustificans siue caritas, quare horum augmentum est præmium per se bonis operibus debitum: hac differentia, quod augmentum caritatis statim detur, ut infra ostendam; lumen autem gloriæ post hanc vitam. Augmentum verò reliquarum virtutum pereiusmodi actum solum meretur indirectè & per accidens, quatenus earum augmentum annexum est augmento caritatis, tamquam huius fundamentum aut ornamentum. ut autem patet ex dictis, augmentum fidei tunc solum annexum est augmento caritatis, quando aliàs illa esset hac minùs intensa, nisi simul cum ea augeretur.

D V B I V M V.

Qua ratione habitus infusus sit subiectus ipsi potentia, siue voluntati, in operando: siue, qua ratione sit in potestate voluntatis habitui suo vti, aut non vti?

64 Hanc quaestionem Doctores communiter expresse non tractant: quia communiter supponunt, habitum ita subiectum esse voluntati, ut possit eo prout voluerit vti, aut non vti. Sed hæc suppositio ut absolutè vera sit, aliqua limitatione aut explicatione indiget. Quidam enim eam minùs benè intelligentes ex ea quædam falsa concludunt, ut infra patebit.

Nota Primò, aliquid dupliciter posse esse in potestate voluntatis: Primò, immediatè & per se: qua ratione ipsius actus est in eius potestate, sicut etiam actus potentia motuæ non impeditur, quam immediatè ad agendum suo arbitrio applicat, aut ab eo cohibet. Secundò, solum mediatè & per aliud: qua ratione in nostra potestate est obiecta nobis clarè propofita videre aut non videre, quatenus est in nostra potestate claudere aut aperire oculos.

65 Nota Secundò, cum Molina in Concordia q. 14. a. 13. disp. 44. §. *Ut verò hæc.* habitum esse agens nullo modo liberum, sed naturaliter quantum est ex se determinatum ad agendum, & ad hoc inclinans; vnde quoties non impeditur, necessariò fertur in suum obiectum sibi debite propofitum, idque quantum potest, siue secundum totam suam intensiorem, & producendo quantum in præsentibus circumstantiis potest actum perfectissimum. Sicut corpus luminosum naturaliter est ad agendum determinatum, & nisi impediatur quoduis illuminabile sibi obiectum necessariò quantum potest illuminat.

Nota Tertiò, quemuis habitum tam naturalem quam infusum esse per se insufficientem ut aliquem actum producat, nisi potentia in qua subiectatur simul cum eo in ipsum influat: unde hac non agente nihil omnino potest producere, & hac remissè agente nequit producere actum intensum. sicut, quia quoduis agens creatum in sua actione pendet à concursu Dei generali, hoc cessante illud nihil omnino agere potest. Item quia intellectus in visione beatifica necessariò pendet à lumine gloriæ, illam nulla ex parte producere potest, si hoc ei non cooperetur: & si hoc habeat remissum, quantumvis conetur Deum intensè videre, tamen solum videbit remissè, nec villo modo intensius, quam sit ipsum lumen gloriæ. ut ostendi disp. 5. dub. 6.

CONCLUSIO I. Habitui siue infusis, siue acquisitis, eatenus est potentia, cui inest, in operando subiectus, ac in eius potestate, quatenus est in huius potestate agere vel non agere, vel agere intensè aut remissè. Sequitur apertè ex dictis: nam cum habitus non possit villo modo agere, nisi potentia etiam simul & æquè intensè agat, si hæc habeat in sua potestate agere aut non agere, ac agere remissè vel intensè prout libuerit, necessariò erit in eius potestate consecutiue efficere ut habitus agat, aut non agat, & intra suam latitudinem agat intensè aut remissè, prout illi libuerit agere aut non agere. Cum igitur habitus siue acquisiti, siue infusi, in hac vita non necessitent potentiam ad agendum, sed relinquunt eam suæ naturali libertati; si hæc sit libera, sequitur, habitum indirectè & consecutiue esse ei subiectum in operando, atque ita in eius potestate esse efficere ut habitus opereatur aut non opereatur, & ut producat actum intensum aut remissum. Et sic intelligendum est commune illud suppositum, scilicet habitum esse in potestate voluntatis.

CONCLUSIO II. Habitui siue acquisitis, siue infusis, non est directè & immediatè in potestate voluntatis, siue potentia cui inest. Ita videtur apertè sentire Molina citatus in notabili 2. & ex dictis clarè sequitur. Nam cum habitus sit agens omnino necessarium, & ex se perpetuò determinatum ad agendum, hoc ipso quo ponuntur omnia ut agat requisita omnino necessariò agit, nec voluntas hoc potest impedire, nisi auferendo aliqua ei ut possit agere necessaria; v. c. desinendo ei proponere suum obiectum, aliò auertendo cogitationem, aut nolendo circa eius obiectum agere. Sicut, quia potentia visiva est agens ex se omnino necessarium, voluntas non aliter potest eius actionem impedire quam claudendo oculos, eosque ab aliquo obiecto auertendo.

Hinc sequitur Primò, quoties potentia agit circa aliquod obiectum habitus sibi inherens siue naturalis siue infusus, v. c. ob huius obiectum formale aliquid appetendo, aut alicui propositioni assentiendo, dictum habitum semper necessariò in eundem actum simul cum ea quantum potest influere. Quia hoc ipso quo potentia circa illud obiectum ita agit, ponuntur necessariò omnia requisita ut habitus agat, quia ad

66
Habitui per se sine cooperatione potentia nihil potest agere.

67
Habitui est indirectè in potestate voluntatis.

68
Habitui non est immediatè in potestate voluntatis. Molina.

69
Potentia agens circa obiectum sui habitus nequit impedire quin hic simul agat.